

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis tertio menſis Junii, anno Domini M. DCC. LI.

M. CAROLO DIONIS, Doctore Medico, Præſide.

An ad ſanitatem Equitatio?

I.

QUÆNAM, varias inter corporis exercitationes, ad tuendam reſtituendamve ſanitatem plus proſint meditanti, nulla ſanè accommodatior occurrit quam repetita interdùm equitatio. Hæc varias apud gentes tantoperè celebratur, ut nullum aliud æquè tutum ac efficax habeatur præſidium. Hinc eſt quòd celeberrimus Angliæ Medicus *Sydenham*, ab hydrargyroſi luem veneream, febres intermittentes peruviani corticis uſu, non certiùs quidem curari, quàm phtiſin ab ipsâ equitatione ſanctè affirmat. Nec ad hypochondriacos, cachecticos, hyſtericos, melancholicos affectus, ad chloroſim & ad roboranda corpora, vix aliud eſt certum æquè remedium. Sed antiquiores apud ſcriptores quæ paſſim equitationis leguntur encomia ratione & experientiâ fulciuntur. Equitationis namque commoda, effectus & utilitates ſi perquiſieris; hæc ad tria capita reduci debere comperies. 1°. Fovet & emendat digeſtiones. 2°. Sanguinis cir-

cuitum adjuvat, ideoque omnes motus ſuſcitat & dirigit. 3°. Secretiones excretionesque ſuſtentat & promovet.

I I.

PROMOVENDÆ digeſtioni præſtantiſſimum equitationem eſſe præſidium firmâ & conſtanti obſervatione planum eſt. Qui lentè digerunt æquè efficax nullum aliud remedium inveniunt, modò non repletus nimis ſit ventriculus, nec celeri nimis atque ſuccuſſivâ utantur equitatione. At modico primùm ferantur itinere, donec majora in dies ſpatia gradatim emenſi, utilitatem indè percipiant. Cur equitatione ita foveantur, & corroborentur digeſtiones? In promptu ratio eſt. Moderatâ exercitatione hùc & illùc leniter movetur ventriculus, ab ambientibus premitur viſceribus, ſurſùm à diaphragmate, à muſculis abdominalibus anteriùs, à reſiſtentibus partibus poſteriùs, inteſtinorum gyris & hepate à lateribus. Hi autem varii, leves, ſucceſſivi, & alternati motus, quaſi premente manu, molliter ventriculum ſuccutiunt; ſed & ipſe ventriculus equi motu blandè movetur & agitatur: hinc ſanè periſtalticus ejus motus, & ipſius actio tonica exſuſcitantur. Hoc igitur multiplici motu intra ventriculum contenta volvuntur, miſcentur, exprimuntur; ipſius adaugetur calor. Eo tandem motu è ventriculo citiùs ad pylorum truduntur aſſumpta; in inteſtinis verò ulteriorem diviſionem & mixtionem patiuntur. Bilis, ſuccus pancreaticus, ſucci inteſtinales, propter concitatam ab equo agitationem copioſiùs evomuntur. Totam agitando corporis compagem, equitatio vaſorum actionem promovet, fluidaque iteratis preſſionibus validiùs propellit; meliùs ergò & vegetiùs intra ventriculi texturam abſolvitur ſanguinis circulatio, frequentiorque ipſius attritio, quam ſtatim uberior excipit ſuccorum gaſtricorum ſecretio, feliciùs indè abſolvitur emendaturque digeſtio. Quid ergò miraberis tot homines ventriculo debiles, ſimplici equitatione ſibi Medicinam adhibuiſſe, licet in vanum jam omnimoda uſurpaviſſent auxilia? Quid mirum ſi ruſtici, viatores, duris & indefeſſis exercitati laboribus, aliis perfectiùs digeſtionem abſolvant? Quid denique mirum quòd è contrà ſtudioſi, ſedentarii, licet admodum robuſti, tot ex parte ventriculi patiantur mala, tandiuque langueſcant? Alimentorum debitè abſolutâ digeſtione, debita & conveniens ſubſequitur *Chylificatio*, id eſt ex maſsâ alimentariâ nutritii exprimuntur ſucci, expreſſi magis attenuantur, jamque à fæcibus expurgantur, eâque præſertim indole lacteas ſubeunt venas. Hinc chylus neque nimis craſſus, neque acris, neque aceſcens, ſed homogeneus, omnique alibili dote præditus. Ad ſanitatem tuendam, quanti interſit his dotibus pollens chylus norunt phyſiologi: apud ægros verò jugiter experiuntur clinici; ſi quidem à pravis digeſtionibus morbos ferè omnes ſuam originem ducere comperiunt, nec niſi digeſtiones emendandò ejuſmodi morbos debellare valent.

I I I.

RITÈ peractâ digeſtione, optimus ſoboleſcet ſanguis, cujus ad circuitum duo ſanè neceſſariò requiruntur. 1°. Ex fluidorum parte, certa quædam fluiditas & *homogeneitas*. 2°. Sufficiens & ordinata vaſorum actio: ſed præſtò aderit fluiditas dum cæteris paribus, omni dote memoratâ præditus erit chylus. Quid enim ſanguis niſi chylus ipſe ulteriùs elaboratus? Rubros globulos conſtituit ſex chyli globulorum adunatio; ſeroſuſque latex ipſiſſimus chyli latex eſt. Hæ ergò utriuſque partes, ulteriori elaboratione differunt magis quàm indole. Porrò uti naturam chyli redolet ſanguis, ita quicumque humores alii ſanguinis redolent energiam, nihil enim ſanguis niſi ſeroſa pars & mucilaginoſa chyli ulteriùs elaborata. At humorum indoles à cujuſcumque fluidi expurgatione magnoperè pendet; ſed cum præſertim ſecretionibus adjuvandis conducat equitatio, ex hac adhuc parte aderit ſanitatis commodum. Sanguinis autem promovendo circuitui vaſorum requiritur actio. Verùm hæc ſive tonica ſive muſcularis actio, ab equitatione maximè juvatur: blandâ enim & continuâ agitatione, ſuccutiuntur vaſa & exſuſcitantur. Moderato equi motu arteriarum ſyſtalticæ adaugentur vires; hinc preſſio ſufficiens & actio in fluida: hæc autem renixu in ſolida impetum edunt, & ideò utriuſque reciproco adaucto motu, fluida comminuuntur, in-

timiùs miſcentur homogenea, extricantur aliena, tandemque nativum illud fluidas inter & ſolidas corporis partes conciliatur & ſervatur æquilibrium. Sic ad quaſcumque ſecretiones idonea paratur materia. Sed à debitâ chyli conſtitutione laudabilique ſanguinis circuitu, unâ cum fluidorum preſſione potiſſimùm pendet αἱμάτωσις. Omnia ad hoc opus requiſita ab equitatione exurgunt, in chylo, in ſanguine, in ipſâmet vaſorum actione; partes itaque chyli globoſæ communi oceano immixtæ, cordis, arteriarum ſimul & viſcerum ac muſculorum actione denſantur. Quâque denſantur ratione, à fæcibus expurgantur; ut potè tot in circuitibus agitatæ & volutatæ, factâ autem depuratione ipſis conciliatur *homogeneitas*. Hæ autem partes ſui quaſi factæ juris, efficaciùs attractionis exerunt vires, ſeſequè ſex adunant globuli, vel in eandem ſatis conſtantem maſſam vaſorum actione compinguntur, eoque modo in genuinum mutantur ſanguinem. Porrò cum intrà pulmonum ſubſtantiam maximè hæc fiat ab equitatione preſſio, αἱμάτωσιν efficaciùs abſolvi, rem penſitanti manifeſtum habebitur; fortiùs enim & efficaciùs hâc exercitatione moderatâ, ſua in fluida agunt arteriæ pulmonales, nam ab aeris actione, elatere, & pondere, alternatim premuntur & fulciuntur: ibique per equitationem ſæpiùs & celeriùs hæ contrahuntur arteriæ: hinc repetitis ictibus magis ac magis chyli partes compinguntur. Sed & equitatione ſæpiùs renovatur aer quàm ſi quieſcat homo; hinc & ſubtilliſſimum quid, & magis elaſticum forſitan ſanguini pulmonali ſuppeditat hoc genus exercitii, quo perfectiùs fiat αἱμάτωσις.

IV.

JAMVERO perfectus ſanguis materiem ſecretionum ſibi analogam ſuppeditabit; ſecretiones enim ut debitè fiant, præcipuè requiruntur & humorum ad organa ſecretoria appellentium quantitas, & eorumdem elaboratio, ut hic aut ille exurgat ſecretus humor. Aderit jam quantitas, dum ritè ſe ſanguis habet; aderit etiam elaboratio, dum arteriæ lymphaticæ, ſecretorii tubuli, reactionis motu, elatere & motu tonico, ſuâque vigent reſiſtentiâ. Porrò hæc omnia dantur, cùm ſanguinea vaſa vegetè pulſant. Quorſum ergò id ulteriùs probaremus, cùm ex præcedentibus ab ipsâ quidem equitatione ſecretiones optimè fieri deducatur? Verùm tot ſecretorii tubuli ab humore interiùs contento obſtructi & ingurgitati, vix ac ne vix quidem in fluida præ infarctu ac debilitate agere valent. Hos commovet tubulos repetitis vicibus & ſuccutiendo proritat equitatio; fluidum agitat contentum, & ſucceſſu temporis dividit; unde tubulorum partim adaucto robore, & aliquali recuperatâ humorum *fluxilitate*, moveri & circumagi incipiunt concreta; hâcque operâ, huc uſque ingurgitati ſeſe liberant tubuli, eâ quidem motatione, & ab omnium tunc magis intensâ muſculorum actione adjuti. Prætereà cùm vegetiùs pulſent arteriæ, laticem fortiùs & ulteriùs movent, parteſque concretas continuò urgent; hinc ad reſolvendas obſtructiones tantoperè Gymnaſtice, præcipuèque equitatio, commendatur.

Dum ritè ſecretiones abſolvuntur, ab heterogeneis debitè expurgatur ſanguis, neque in ſui compoſitione defectu aut exceſſu peccat; ſucci tunc digeſtivi, ut par eſt, ſecernuntur; undè chylus ad conficiendum ſanguinem idoneus evadit, ac ſub eo proinde reſpectu ita ſibi auxiliatrices manus præbent χύλωσις & αἱμάτωσις: omnium ideò ſecretionum & ſanguinis bona erit indoles, & facilè parabitur nutritionis materies; nam cùm vigentibus omnimodè ſecretionibus & excretionibus colatoria quælibet ſuo fungantur munere, nutritioni dicata materies elaborabitur. Hæc enim præſertim in vaſis minimis & in nevrolymphaticis ſuas acquirit dotes, ibique fiunt & deperditiones & reparationes. Ergò meliùs exinde nutrietur corpus, magiſque vigebit. Hæcque ratio eſt cur ſæpè homines, dum vitam ſedentariam agerent, graciles & macilenti, per equitationem pinguéſcant. Nec aliunde juvenes magis grandeſcere & corroborari perhibentur, quàm peregrinationibus & aeris mutatione; quippe inter peregrinandum nunc equo, nunc navi, nunc rhedâ corpus exercent.

V

EXCRETIONES pati corpus humanum cuicumque notum eſt. Quibus enim nutrimur aſſumpta ſatis non ſunt homogenea nobis & analoga, ideò ad excer-

nenda quæ nobis ſunt infenſa, multiplices paravit vias provida ſemper Natura. Noſtra aliunde fluida, calore & motu, ut potè oleoſa & mucilaginoſa; ſpontaneâ vi indeſinenter ranceſcunt; tum ſimiliter ſolidorum abraſæ partes omnes foràs eliminandæ. Quantæ ſubſequantur morborum iliades, ſi immiſceantur excretiones, nemo neſcit. Ad incolumem ſervandam ſanitatem maximi igitur intereſt ut foveantur excretiones. Porrò alia inter auxilia cujuſlibet generis excretiones promovet equitatio. Primò quidem fæcum excretionem inteſtinalium provocat, quatenus muſculorum & viſcerum abdominis adauctâ ſyſtole, præcipuèque diaphragmatis, vehementiùs preſſæ quæ ſubjiciuntur, feliciùs foras amandantur fæces. 2°. Cæteris paribus uberiùs fit urinæ excretio, cùm nempe moderato equitationis motu, alternatim ſuccutiuntur renes; ad partium heterogenearum excretionem præparatur lymphatica moles, lymphaticæ reſolvuntur concretiones, uberiorque per renes fit urinæ excretio. 3°. Meliùs & vegetiùs peragitur cutanea excretio, tum ob virium ſyſtalticarum & muſculorum intenſam magis actionem, tum ob ſeri lixivialis evolutionem, ut potè quòd per equitationem, uti diximus, humorum oceano communi ſtagnantes, & quaſi concreti liquores extricentur faciliùs, vegetiùſque inquinamenta ſua foras expellat ſanguis. Nec omittendum eſt corporis peripheriam equitationis ope per lintea & corporis induſia veluti fricari; quantùm verò embrocationes frictioneſque tranſpirationem promoveant & exſuſcitent, apprimè noſcitur.

At quantùm æquabilis juvat equitatio, tantùm immoderata nocet: corporis enim violentiori motu non leviter pectus excandeſcit, ſtagnat ſanguis intra pulmonum dædaleos anfractus, aſperiores in abdomine patitur ſeſſor muſculorum depreſſiones, moleſtiùs complanatur diaphragma, vaſorum abdominis majores trunci mole viſcerum obruti ſanguinem pariter & difficiliùs admittunt & reddunt ægriùs. Capillaria totius corporis vaſa fervidiori & uberiori turgent ſanguine; craſſeſcens inde ſanguis lentiùs multò progreditur, hæret in minoribus vaſis, ac tandem interceptis ſecretionibus, variæ in variis corporis partibus obſtructiones ſoboleſcunt, infeliciſſimi morborum prodromi. Tot igitur incommoda ſi vel præcavere vel expellere animus eſt, leni, repetitâ & conſtanti equitatione utendum, non ſtatim à paſtu, non ubi fames urget, non in locis aſperis, non diutiùs in aprico, at ſub umbrâ potiùs, in aëre ſudo & ſalubri; ſic hyſtericæ, melancholici, hypochondriaci, medelam ſibi accerſunt. Manifeſtum eſt igitur quare pallidæ virgines, hectici, & phtiſici ab equitatione ſæpè ſæpiùs convaleſcant; quare, & quidem meritò, ad hujuſmodi morbos profligandos pro efficaciori auxilio habeatur, aliiſque cujuſcumque ſpeciei remediis anteponatur equitatio. Sed quid multa? Si valetudini conſulas, nec remedia uſurpes plurima, nec adhibeas frequentiùs. Quàm multi enim morbum præcavendo, morbum ipſum & mortem accerſivere? Compendiariam magis ad ſanitatem indicamus viam. Has leges ut ſaluberrimas præſcribimus: aerem purum ſeligas; animi pathemata compeſce; provocetur per modicum laborem fames; ad menſam accedito non impleturus ſtomachum, ſed ſumpturus tantùm parcâ manu quod ſatis eſt; ut nihil motibus inconditis tribuas, ſic intempeſtivæ quieti nihil; quæ excerni & retineri debent, fac ut ſuas optimè & uti decet vices obeant. Verbo dicam, interdum equitare memineris; præceptorum artis medicæ ſumma eſt; in illorum obſervatione ſanitas ipſa continetur; unde concludimus;

Ergò ad ſanitatem Equitatio.

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS-THOMAS-GUILLELMUS GUILBERT DE PRÉVAL, Cadomæus, Doctor Medicus Cadomenſis; necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.